



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 4. Mores hodierni Græcorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

tum, & quatenus monte *de Costegnatz*, seu *Hæmo* à Septentrione restringitur.

LATITUDO eius ducitur ab urbis *Varnæ* territorio sub 45. gradu ad Promontorium *Tænarium*, vulgò *Metapan*, aut *des Cailles*, sub gradu 35. igitur continet 600. millia passuum Geometricorum, seu leucas nostrates 300. Germanicas 150.

LONGITUDO desumitur ab urbe *Dulcinio Dulcigno* in limite *Albaniz* ad *Castella Freti Constantinopolitani*, vulgò *les Chasseaux*, quæ distantia 9. gradus reddit in magno circulo, ideòque continet 540. millia passuum, leucas Francicas 270. Germanicas 135.

§. 3. *Qualitas noua Græcia.*

OLIM regio cultissima erat, & fertilissima, nunc penè deserta, colonis ferè vbique deficientibus; quare ante aliquot annos 30. millibus *Calabrorum* in *Albaniâ* agri gratis assignati sunt ab *Ottomano*. Huius vastitatis ratio est quòd *Turcæ* *Græcos* diuites non patiantur esse, sed eos fictis criminibus, si vera desint bonis spolient: quamquam miseri hi homunciones, dominos illos acerbissimos *Latinis* anteferant, ex innato vtriusque imperij odio. Postea de singulis regionibus aliqua magis singularia dicemus.

§. 4. *Mores hodierni Græcorum.*

DOMINORVM suorum magna ex parte induère mores: qui *Turcæ* seruiunt, à *Turcis* nihil differunt; qui *Venetis*, *Venetorum* ferè more viuunt. Antiquam maiorum consuetudinem in hac parte retinuerunt: libentissimè pergræcantur, atque epulis indulgent, & vino. Zelotypiâ ardentissimâ laborant, neque vxores suas facillè, aut à quouis videri sinunt. Magnificè vestiti incedunt fluente *Togâ*, cui pallium superinducunt, vestem vocant, *une veste*. Comam ab occipitio nutriunt, in anteriori parte rescindunt: linguam suam multis vocibus *Arabicis*, *Turcicis*, *Slauicis*, *Latinis*, *Italis*, immo & *Francicis* admixtam habent. Quare obseruat *Crusius* in suâ *Turcogræciâ* supra septuaginta hoc tempore huius numerari dialectos: *Thessalonicenses* cæteris puriùs loquuntur. Annum suum à *Septembri* auspiciantur, seu ab *Æquinoctio Autum-*

nali, ob Indictionem Constantini, cuius initium cecidit in 23. Septembris. Numerant annos suos ab ortu mundi non à Christo nato, & anno mundi 5508. Christum ortum esse arbitrantur, itaque hunc annum Christi 1647. numerant annum mundi 7155. Si nuptias cum Turcâ contrahant perpetuò excommunicantur; si cum Latino, ad tempus aliquod duntaxat. In funebribus pompis falgamata, & vinum offeruntur adstantibus; fœminæ sibi vellunt capillos, ora lacerant, multis cum singultibus vlulantes. Viduæ toto anno carent publico, & neque vestem, neque indusium mutant. Armis ferè Græci carent, & tantùm mechanicas artes exercent, aut navigationibus vacant, in quibus peritissimi iudicantur.

§. 5. De Religione Græcorum.

RITV à Latinis differunt, secundùm quem administrant legitime omnia quæ ad Dei cultum, & Sacramenta pertinent: in pane fermentato consecrant, & calidam infundunt Calici, in memoriam calentis sanguinis Christi. Laïci sub vtrâque specie communicant. Sacerdotes seruant vxores suas, & iis vtuntur ad prolem; repudiatâ vxore iustâ de causa Laïci alteram superinducunt: tertiæ nuptiæ, seu *τρίγαμια* grauissimis pœnis prohibetur. Comam alunt Sacerdotes, & barbam: ita muniunt se signo Crucis, vt manum à dextra parte promoueant ad sinistram, contrario Latinis more; aliqui & in dextrâ, aut sinistrâ hærent, neque Crucem absoluunt, vt innuant Spiritum Sanctum à Patre solo procedere. Die Mercurij, & Veneris abstinent carne, piscibus, & butyro; sed panem, herbis, & oleo tantùm vtuntur. Calogeri etiam his diebus oleum non gustant: quadruplicem seruant Quadragesimam, *primam* à Sexagesima ad Pascha quam Magnam vocant; *secundam* S. Petri, & Pauli, ab octauâ Pentecostes ad festum eorum Sanctorum; *Tertiam*, B. Virginis ab initio Augusti ad Assumptionem; *Quartam* S. Philippi, à festo eius Sancti qui incidit in 14. Nouembris ad Natalitia Christi. Calogeri, seu Monachi magnæ hinc venerationis, ex his tantùm Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos eligunt. Homines hi duriter viuunt, & labore manuum, ignari magnâ ex parte, sed subdoli, & vafri: seniores patres, iuniores filios appellant; pauci inter eos Sacerdotes. De aliis eorum ritibus legantur Crusius in Turco-Græciâ, Cotouicus, & alij.